

dulis; » ut qui populo fuere duces sceleris, sint exemplum supplicii; et qui publice in sole peccare non erubuerunt, coram sole inverecundiæ poenas luant; qua de causa et Bithyni iudicibus tribunal in conspectu solis statuebant, teste Alexandro ab Alexandro lib. III *Genial.* cap. v.

7. NON PECCES IN MULTITUDINEM CIVITATIS, NEC TE DIMITTAS IN POPULUM. — Tripliciter hæc sententia exponi potest. *Primo*, ut in multitudinem, per Hebraismum et Græcismum (quo et sæpe ponitur pro *eo*), capiatur pro in *multitudine*, ac vetet ne quis multitudini plebis et turbæ populi sese accommodet, præsertim dum tumultuatur, et magistratui reluctatur, aut iudicis sententiam infringere vel impedire molitur: quod sæpe fit, dum cives sibi cognatos vel caros, licet noxios, jure ad mortem, aliamve poenam damnatos ab ea eripere conantur; aut dum vulgus leges utiles a magistratu sancitas, quia eas sibi molestas sentit, abolere satagit, ut sit hic alia causa cur nemo ambire debeat iudicis officium, ne scilicet metus, sicut eum impulit cedere potentibus, ita eum cogat cedere et turbæ populi: magna enim est vis vulgi agglomerati, tumultuantis et furentis.

Sensus ergo est, *q. d.* Ne pecces in et cum multitudine civitatis plebisque peccantis, ideoque in populum tumultuantem, vel peccantem non te immittas, ne ab eo velut a rapido torrente in scelus abripiaris; sed potius domi te confine, aut secede, donec tumultus ille vel fervor populi transeat et sopiatur. Eodem enim spectare videtur pars posterior hujus versus, quo spectat prior. Huic sensui favet Syrus: *Ne condannes animam tuam* (vel teipsum) *in congregatione civitatis, et ne exponas animam tuam iudicis ejus.* Et Græca, quæ pro ne te immittas in populum, habent: καὶ μὴ καταθέσθαι αἰματὸν ἐν ὄχλῳ, id est, et ne dimittas, vel præcipites, vel destruas, opprimas, perdas, eneeas (hæc omnia enim significat καταθέσθαι) te in turba, vel in turbam populi tumultuantis. Et Tigurina: *Ne te abjecte vulgo permittas.*

Sapienter Pausanias, lib. I: « Illud, ait, præclare mihi dictum videtur, hominem nimis reipublicæ administrationi deditum, et populari, auræ fidentem, haud unquam feliciter diem extremum claudere. » Imo multos sustulit furor popularis: populi enim affectus instar auræ vertuntur, et ex amore in odium commutantur. Unde Seneca, *epist.* 39: « Nunquam, ait, volui populo placere; nam, quæ ego scio, non probat populus: quæ probat populus, ego nescio. Quis placere potest populo, cui placet virtus? Malis artibus popularis favor quaeritur: similem te illis facias oportet. » Celebre est illud Apostoli: « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem, » *Galat.* I. Vide quæ de vulgi moribus dixi *Numer.* XI, 4, et *Numer.* XX, 3. Huc facit apologus vulpis et leonis, quo a sequela populi se excusat Horatius *epist.* 1 *ad Mæcenatem*, dicens:

Quod si me populus Romanus forte roget cur
Non ut porticibus, sic iudiciis fruatur iisdem;
Nec sequar, aut fugiam, quæ diligit ipse, vel odit
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam: Quia me vestigia terrent
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum
Bellua multorum es caputum.

Huc accedunt tres expositiones Pauli a Palacchio: *Prima* est, ne ob favorem populi pecces, uti Absalom favore populi Davidem patrem regno expulit, II *Regum* XV; *secunda*, ne in gratiam populi pecces, uti peccavit Saul propter populum non occidens Amalec, sicut Deus ei jusserrat, I *Regum*, cap. XV; *tertia*, *q. d.* O iudex, o princeps, si peccandum est, ne publice pecces: ne doceas peccare subjectos, ne te exemplum peccati populo proponas: id enim peccatum est duplex, id est, multiplex et grave; et si peccatum simplex non est liberum a peccato, quomodo tam grave erit immune? O quam graviter peccavit Jeroboam, qui Israeli fuit causa peccati! Igitur, ne iudex, aut princeps (de his enim loquitur) peccet coram multitudine et populo. Si egerere vult, cum Saul speluncam intret, ubi onus ventris relinquat; et nec ibi se tutum credat: adest enim testis David. Admoneatur princeps peccata sua publica esse; nam, ut Episcopus, qui cito manus imponit, communicat peccatis ordinati: ita, qui coram plebe peccat, communicat peccatis, quæ ejus exemplo populus admittet. Hæc Palacchius.

Secundo, alter sensus est, *q. d.* Noli fieri iudex, aut princeps, ne te exponas periculo offendendi multitudinem et populum, qui, ut facile irritatur, ita difficile placatur, ac sæpe eos a quibus offenditur, vita et bonis spoliatur. Dicit ergo, ait Jansenius: Non pecces in, id est, contra multitudinem civitatis, injuria illam afficiendo; neque te temere immittas et præcipites in populum, sive ad regendum illum, sive potius ad componendas rixas et contentiones a populo excitatas: utrumque enim periculosum est, ne scilicet a populo furente discerpas; et prius etiam grave est peccatum, eoque gravius, quo in totum populum peccatur. Sic dicendum est duo hic dari præcepta: primum, ne peccetur in populum; secundum, ne ejus rixis se quis immisceat. Hic sensus magis congruit versioni Vulgatæ Latine. Sic in populum Israel petentem sibi imminui onera a Salomone imposita, peccavit insipiens Roboam, dicendo: « Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei, etc. Pater meus cecidit vos flagellis; ego autem cædam vos scorpionibus, » III *Regum* XII, 11: ideoque a populo regno Israel spoliatus, soli tribui Juda cum Benjamin dominatus est.

Tertio, facillimus et planissimus erit sensus, si peccatum hic non theologicum, sed civile et politicum accipias, pro offensa, *q. d.* Ne pecces, id est ne offendas multitudinem civitatis, sive

per iudicii sententiam, sive per legem illi invasam et exosam, sive, ut sequitur, immittendo te in populum tumultuantem et furentem. Monet ergo declinandum esse officium iudicis et principis, ne egerer subinde offendere multitudinem, aut inscius et imprudens illam offendant, cum sui et suorum periculo. Hoc sensu prior pars versiculi cum posteriore optime coheret. Hic sensus pariter conciliat lectionem Græcam, Latinam et Syram, quæ omnes illi favent, illumque exposcunt. Huc facit symbolum Pythagoræ: « Progredienti gregi e via cede, id est, multitudini te non oppone. »

8. NEQUE ALLIGES DUPLICIA PECCATA; NEC ENIM IN UNO ERIS IMMUNIS. — *Primo*, *q. d.* Noli fieri iudex aut princeps, ne duplices peccata tua: nam præter propria imputabuntur tibi aliena, puta, populi, vel ob pravum exemplum, quod ei dedisti; vel quia illa corrigere (uti ex officio tenebaris) neglexisti. *Secundo*, *q. d.* Ne pecces in multitudinem populi, quia hæc « peccata, » utpote in multis commissa, sunt « duplicia », id est multiplicia. *Tertio* et genuine, *q. d.* Si semel in multitudinem, vel in justitiam et æquitatem peccasti, noli peccatum hoc iterare, et peccata peccatis cumulando, ea quasi alligare in fasciculum, cogitando: jam peccavi, jam Dei gratiam perdi; dabo ergo me vitis et voluptatibus. Sufficiat semel peccasse, sufficiat unum vulnus tibi inflixisse, noli vulnus vulneri, plagam plagæ addere. Una plaga facile curari potest: multæ sæpe sunt lethales et insanabiles. Hunc sensum exposcunt Græca: *Ne alliges bis peccatum*; Syrus: *Ne iteres peccata, quia in prioribus non es justificatus*; Vatablus: *Cave peccatum congemines.* Ex iteratis enim peccatis, ceu e multiplicatis contortisque filis, fit crassus funis, qui rumpi nequit, juxta illud: « Funicibus peccatorum suorum constringitur impius, » *Proverb.* III, vers. 22; et: « Væ, qui trahitis impietatem in funiculo vanitatis, et quasi vinculum plaustrum peccatum! » *Isaia* V, 18. Vide ibi dicta.

Causam subdit: « Nec enim in uno eris immunis, » scilicet, a merita castigatione et supplicio. Vatablus: *Cum ne unum quidem impune laturus sis, q. d.* Si duplices culpam, duplices tibi poenam: ut ergo simplex sit tibi poena, simplex sit et culpa. Quare cap. XXI, 1: « Fili, inquit, peccasti? ne adjicias iterum. »

9 et 10. NOLI ESSE PUSILLANIMIS IN ANIMO TUO: EXORARE ET FACERE ELEEMOSYAM NE DESPICIAS. — Hic versus pendet a præcedenti, *q. d.* Si peccasti, noli esse pusillanimis, ut illud iteres, et peccata peccatis accumules, noli de venia desperare aut diffidere; sed pro ea Deum exorare, eumque eleemosynis placare ne negligas. Tam enim pusillanimitatem, quam peccata levat tollitque oratio, juxta illud S. *Jacob.* cap. V, 13: « Tristatur aliquis vestrum? oret. » Vide ibi dicta. Siracidem secutus Cato in *Distichis*, ita sancit:

Rebus in adversis animum dimittere noli:

Spem retine; spes una hominem nec morte relinquit.
Græca et exorare jungunt cum pusillanimitate; sic enim habent: *Noli esse pusillanimitas in oratione tua, et eleemosynam facere ne despicias.* Orandum est enim cum magna fiducia impetrandi quod petimus: hæcque fiducia est quasi anima et nervus orationis, quæ ei dat robur et efficaciam. Sed eodem redit sensus.

Præclare S. Bernardus docet spiritum pusillanimitatem ob recordationem peccatorum vel passionum ineptum esse ad Dei laudem et jubium, ac proinde debere orare ut Deus ad illam ipsum elevet. Sic enim ait serm. 9 in *Cant.*: « Quæ pusillanimitas est et modicæ fidei mens, rei suæ familiaris tenuitate constringitur, nec valet præinopia otiosi ad vacandum divinis laudibus, seu his quæ laudes pariunt intuendis beneficiis. Et si quando certe conatur assurgere, confestim domesticarum necessitatum curis urgentibus evocatur ad sua, et in spe comprimi propria egestate compellitur. »

Græco accedit Syrus: *Ne contristeris* (tristitiæ enim comes, et jam filia, jam mater est pusillanimitas) *in verbis orationis tuæ, et ab eleemosyna ne tardes*; Tigurina: *Ne sis remisso ad preces faciendas animo*; Vatablus: *Animum in precibus tuis ne despondeas*; aut: *Quo minus preceris, ne despondeas animum; nec miserando benignum præbere te negligas*; Vatablus: *Ne in pauperes erogare omittas*, juxta illud Danielis ad Nabuchodonosor monitum, cap. IV, 44: « Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. » Vide ibi dicta. Huc spectat illustre adagium Arabum, *Centuria* I, num. 79 et 80: « Qui operatur bonum, non privabitur remuneratione ejus. Liberalis est vicinus Dei, vicinus hominum, vicinus paradisi, remotus ab igne inferni. » Paulo aliter legit et intelligit Origenes homil. 1 in *Ezechiel.*, nimirum sic: « Fili, noli esse pusillanimitas in disciplina Dei, » quod explicat subdens: « Neque deficiens correptus ab eo. »

Generalius hæc accipit Palacchius, *q. d.* Si te mala premunt, præsertim minæ potentum, ut iis litem adjudices, ne despondeas animum; sed ora, et fac eleemosynam. Hæc est summa totius vitæ: Ora Deum, dilige proximum. Hæc sunt in quavis lege potissima. Hæc advocant bona omnia, et propulsant mala omnia. Hæc sunt leges, per quas examinabuntur in die iudicii cuncti mortales. Sic et alii nonnulli hoc referunt superius ad vers. 6: « Noli quaerere fieri iudex, » *q. d.* Noli ambire fieri iudex; sed tamen, si præter tuam mentem coactus, vel factus es iudex, noli esse pusillanimitas, ut extimescas facies potentum; sed magno et excelso animo iis resiste, ac pro æquitate et pauperibus oppressis justam fer sententiam. Imitare Davidem dicentem *Psal.* c, 8: « In matutino (id est, tempestive, cito) interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem

de civitate Domini omnes operantes iniquitatem. » Potentes enim similes sunt animali, quod vocatur myrmecoleon, id est, formica-leo, vel formicarius leo, aut leonina formica, de quo *Job. iv, 11*: « Tigris perit, eo quod non haberet prædam; » ubi Septuaginta pro *tigris* vertunt *myrmecoleon*. Est hoc animal exiguum formicis adversum, uti leo cæteris animalibus, quod se sub pulvere abscondit, et formicas frumenta gestantes interficit, et interfectas consumit. Unde mystice per illum S. Gregorius accipit diabolus: diabolus enim piis et constantibus est timidus et formica, impiis vero et timidus est terribilis ut leo. S. Nilus vero per myrmecoleonem accipit perturbationes animi, qualis est timor et pusillanimitas, quæ initio a tenuioribus causis exoriuntur, et quasi formicæ latenter obrepunt: ubi vero se confirmarint, adeo immanis est earum impetus, ut non minus quam leo periculum injiciant occurrenti. Ita de Modesto Valentis Imperatoris præfecto conante S. Basilium pertrahere ad Arianismum, canit Cyrus Theodorus:

Modeste, Basilio Magno subes:
Formica sane es, rugias licet ut leo.

Est enim genus leonum in Pseudocasia, qui formicæ appellantur, ait Strabo lib. XVI. S. Basilium imitetur iudex et quivis sapiens; si enim se constantem in justitia et virtute tuenda ostendat, potentes demittent se quasi formicæ: sin eos timeat, insurgent in ipsum, velut leones.

11. NE DICAS: IN MULTITUDINE MUNERUM (sacrificiorum, victimarum, oblationum: ita Syrus) MEORUM RESPICIET DEUS, ET OFFERENTE ME DEO ALTISSIMO, MUNERA MEA SUSCIPIET. — Versu præcedenti vetuit diffidentiam in oratione, hic vetat illi contrariam præsumptionem, *q. d.* Noli esse pusillanimitas in oratione, ut diffidas te impetraturum id quod postulas: sed neque sis præfidens, ut peccata peccatis accumules, dicendo te hæc omnia expiaturum per sacrificia. Nec enim sacrificia veteris legis erant propitiatoria, et expiabant peccata ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, puta ex devotione et contritione offerentis. Sacrificium vero Eucharisticum legis novæ, etsi vim habeat ex opere operato, tamen ut culpam expiet, requirit pariter opus operantis, puta contritionem poenitentis. Dicit hoc contra vulgus peccatorum ævi prisici (æque ac moderni), quod putabat omnia peccata expiari per sacrificia, etiamsi quis in voluntate et proposito, imo actu peccati perseveraret. Unde Græca et Syrus hanc sententiam immediate subjiciunt versui 8, hoc modo: « Neque alliges peccata duplicia, etc., neque dicas: In multitudine munerum meorum respiciet Deus, » *q. d.* Ne duplices, triplices et quadruplices peccata hac præfidentia, quod victimæ pro iis offeres, ad quas respiciens Deus illa condonabit.

12. NON IRRIDEAS HOMINEM IN AMARITUDINE (afflic-

tione, dolore, mœstitia, angustiis) ANIMÆ SUÆ: EST ENIM QUI HUMILIAT ET EXALTAT CIRCUMSPECTOR DEUS. — Syrus: *Ne irrideas homines, quorum amara sunt palata* (cordis, et consequenter oris, id est qui tristes sunt et mœrentes: his enim quasi palato infecto, omnia velut insipida desipiunt), *quoniam est qui exaltat, et qui humiliat*; Vatablus: *Hominem acerbitate animi sui laborantem ne derideas: est enim qui deprimat, et idem evehat Deus animadversor, q. d.* Noli afflictum deridere memor fortunæ et sortis humanæ, quam Deus ad nutum librat et nutat, ut nunc miseros prosperet, nunc felices affligat, juxta illud Isocratis ad Dæmonium: « Nemini calamitatem exprobra; fortuna enim communis est, et futurum non videtur, » *q. d.* Nescit homo quid sibi eventurum sit.

Nescia mens hominum fati sortisque futuræ.

Secundo, pressius et potius, *q. d.* Noli miserum irridere, quia solet Deus superbos, præsertim qui miseros irrident, dejicere, affligere et eidem irrisioni exponere, juxta legem talionis: « Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. » Quocirca cum Franciscus, rex Galliæ, captus a Carolo V, in pariete cubiculi inscripsisset: « Hodie mihi, cras tibi, » sortis et vicis humanæ memor subscripsit Carolus: « Homo sum, humani a me nihil alienum puto. » Præclare Plinius, lib. XVI, cap. xv: « Ut in rerum natura, inquit, quæ spectatissime florent, celerrime marcescunt, veluti rosæ, lilia, violæ, cum alia durent: ita in hominum vita, quæ florentissima sunt, citissime vertuntur in diversum, » puta felicitas in infelicitatem, sanitas in morbum, robor in infirmitatem, favor in odium, honor in contemptum, amici in inimicos, vita in mortem. Quocirca reges Chaldæi, teste Herodoto lib. I, gestabant sceptrum in quo rosa aut similis flos erat exculptus: rosa autem, quia frigida, ebrietati resistit. Igitur sceptrum, quod homines fastu inebriat et dementat, incidebant rosam, quæ, licet sit speciosissima, subito tamen marcessit, ut cogitantes pari modo sua sceptrum brevi corrumpenda, fastum ponerent, et modestiam induerent. « Omnis » enim « potentatus brevis vita, » ut audiemus cap. x, vers. 11. Adde: solent miseri, si rideantur, ad Deum gemere; Deus autem gemitus eorum exaudit et vindicat: miseria enim miseri misericordiam flagitat, non risum. Hoc est quod orat Psaltes *Psal. lxxviii*: « Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. » Cur? « Quia quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnorum meorum addiderunt. »

Porro remedium irrisionis est compunctio, qua quis propria peccata et extremam iudicium cogitans, aliena non respicit. Audi S. Antiochum *homil. 48*: « Qui sua luget peccata, huic nullus relinquitur locus alterum ut derideat, aut de ridiculis sannis aspergat, et exacerbet frairem. » Audi enim quid dicat Paræmiastes: « Ne deriseris

hominem in amaritudine animæ suæ. » Et post nonnulla: « Multo profuerit derideri te, quam unum aliquem ut ipse derideas. Justus enim derisui ac ludibrio haberi solet, non item deridere. Traduntur enim in manus peccatorum, juxta B. Job sententiam; et melicus ille concentor hymnorum, *Psal. lxxviii*: Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta; et in me psallebant, qui bibebant vinum, etc. Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. » Rursum reme-

dium irrisionis est cogitare quod Deus irrisores irrideat, juxta legem talionis, *Proverb. iii, 34*: « Ipse deludet illusores; » *Isaiæ cap. li, 7*: « Nolite timere opprobrium hominum, etc.: sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis, et sicut lanam, sic devorabit eos tinea, » *q. d.* Exprobratio et irrissio est quasi tinea et vermis, qui e lana et veste genitus, ipsammet erodit et consumit: impii enim producent irrisionem, ob quam a Deo irridentur et consumuntur.

TERTIA PARS CAPITIS.

DE CAVENDO MENDACIO ET GARRULITATE.

13. NOLI ARARE MENDACIUM ADVERSUS FRATREM TUUM, NEQUE IN AMICUM SIMILITER FACIAS. — Perperam aliqui scioli, non intelligentes quid sit « arare mendacium, » pro *arare* correxerunt *amare*, quod proinde in Complutens. pluresque alios codices irrepsit. Græca enim et Romana constanter legunt *arare*. Porro « arare mendacium » est fabricare, concinnare, adornare mendacium et calumniam. Unde Syrus vertit: *Ne cogites malum adversus fratrem tuum, sic etiam adversus proximum pariter*; Vatablus: *Ne machineris adversus fratrem tuum mendacium, nec idem struas in amicis*; Arabicus: *Ne imputes dicto fratri tuo notam mali, neque amico tuo*. Ratio hujus phrasid est quod Hebr. *חרש charas* (unde Latinum *aras*) significat arare, et fabricare. Voluit id imitari interpret Græcus et Latinus, ideoque *charas*, id est, arare, sumit pro fabricare; unde illud *Psal. cxxviii, 3*: « Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores; » alii vertunt: « Supra dorsum meum araverunt aratores. » Sic enim Judæi dorsum Christi, et persecutores dorsa Martyrum flagris et unguibus excavabant, ac si in iis sulcos arando duxissent.

Alludit ad *Osee x, 13*; « Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii. » Ubi ratio hujus metaphors aperitur, nimirum quod, sicut arator arat terram, in eaque seminat, ut semini similem messem metat: sic qui concinnat iniquitatem et mendacium, metet mendacium, frugesque mendaces, uti ibidem dixi. Ita Samson proponens ænigma Philistæis, cum ipsi ejus solutionem ab uxore Dalila scrutati enuntiassent, dixit: « Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam. » Ubi *arare* sumitur pro vestigare, excogitare, rimari; *vitula*, pro puella vel sponsa ob juvenilem ejus lasciviam, imprudentiam et inconstantiam: persistit enim in metaphora arandi: olim enim, uti et iam, arabant vitulis, id est, vaccis et hibus; sicut enim arator fodiendo quasi scrutatur et rimatur terram: sic qui secretum aliquod vestigat vel excogitat, illud ipsum sua arte et in-

dustria meditando scrutatur et rimatur. Idem facit arator mendacii, de quo hic est sermo: quæ est tertia ratio et analogia hujus phrasid.

Rursum alludit ad *Proverb. iii, 29*: « Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam; » ubi pro *moliaris*, Hebr. est verbum *חרש charas* jam dictum. Unde Septuaginta vertunt, *ne fabriceris*.

Nominat fratrem et amicum, quia in eos eo immanior est malitia, quo major est cognatio et conjunctio, indeque fiducia, ac consequenter major est perfidia. Unde Clemens Alexandrinus, lib. VI *Stromat.*, post initium, celebrat illud Alcmæonis: « Inimicum facilius est cavere quam amicum. » Et illud Sophoclis: « Quod majus ulcus, quam amicus malus? » S. Maximus, serm. *De Amicitia*, narrat Antigonum quotidie sacrificando orasse deos, ut se a fictis amicis tutarentur; ac rogatum cur id tantopere postularet, respondisse: « Quia hostes, cum cognosco, caveo. »

Nota hic pulchram metaphoram, qua lingua loquendo dicitur arare. Nam primo, sicut arator arando exercet terram: ita linguatus loquendo exercet linguam. Secundo, sicut arator aratro glebas proscindit: ita loquax lingua famam aliorum proscindit. Tertio, sicut arator arando sulcat agrum: ita lingua sulcat aerem, palatum, labia et dentes. Quarto, sicut arator arat in campo, vel puro, vel spinoso: ita linguæ campus, purus, in quo rite arat, est veritas; spinosus, in quo perperam, est mendacium. Quinto, sicut arator ex campo puro puram messem, ex spinoso spinosam colligit: ita, qui lingua arat in campo veritatis, veras ex eo fruges; qui vero arat in campo mendacii, fallaces et mendaces metit et colligit.

14. NOLI VELLE MENTIRI OMNE MENDACIUM: ASSIDUITAS ENIM ILLIUS NON EST BONA. — Versu præced. vetuit mendacium in fratrem et amicum: jam ne quis ex eo colligat aliud quilibet mendacium esse licitum, hic omne omnino prohibet. Erravit Plato docens, lib. *De Republic.*, mendacium qui-

dem in se esse malum; eo tamen uti licere quandoque ad majus malum vitandum, sicut utimur venenis in theriaca: mendacio ergo utendum esse quasi helleboro. Platonem secuti sunt Origenes, Clemens Alexandrinus, Cassianus, Beda et alii, quos citavi *Exodi* 1, 19. Contra hos scripsit S. Augustinus librum *De Mendacio*, et librum *Contra Mendacium*. Sed et Ecclesiasticus hoc loco eos damnat. Respondebant illi, ut refert S. Augustinus libris citatis, *primo*, Ecclesiasticum dicere: «Noli velle mentiri omne mendacium;» vetare itaque tantum omne mendacium, aliquod ergo permittere. Sed refutat hoc recte S. Augustinus: nam Hebræis non omne idem est quod *multum*, *q. d.* Nullum mendacium velis proferre; secus est apud Logicos, ubi non omne idem est quod *aliquod non*. Unde Syrus vertit: *Ne velis mentiri quodcumque mendacium*; Vatablus: *Ne velis uti ullo mendacio*, sive illud perniciosum sit, sive jocosum, sive officiosum duntaxat: hæc enim sunt tres species mendacii. Nam mendacium in se et intrinsece malum est, ut nullo modo, fine vel eventu possit fieri bonum et licitum; perinde ac est furari, fornicari, blasphemare, calumniari, maledicere, etc., quæ ita intrinsece mala sunt, ut nullo casu vel fine bona fieri possint.

Respondebant *secundo*, Ecclesiasticum dicere: «Noli velle mentiri,» quasi prohibeat tantum omne mendacium, quod sponte et voluntarie quis profert; non autem quod quis invitus ob majus bonum pronuntiat. Refutat hoc S. Augustinus, aitque Ecclesiasticum addere *velle*, ut sciamus non solum mendacium ore prolatum; sed etiam voluntatem illud proferendi esse malam, et peccatum. Addit Jansenius addi *velle*, ut, quoniam per infirmitatem humanam, vel omnino fieri non potest, vel vix, ut quis nunquam mentiatur: «si quis enim in verbo non offendit, hic perfectus est vir,» *Jacob.* III, vers. 2, saltem caveat ne affectet mendacium, et studiose mentiatur, atque ex proposito. Unde sequitur: «Assiduitas enim illius non est bona,» id est, valde est mala. Est *miosis*: minus enim dicitur, et plus significatur. Græce, *non ad bonum*, scilicet tendit et cedit; Syrus, *quia finis ejus non fuit bonus*; Vatablus, *nunquam enim prodest frequentatio ejus*; alii, *continuatio ejus non ad bonum spectat, q. d.* Nullum omnino mendacium est volendum: quod si aliquando mendacium nobis elabatur, cavendum est ab ejus assiduitate; hæc enim res est pessima.

Sensus ergo totius sententiæ est, *q. d.* Noli velle mentiri omne, id est, ullum mendacium; quia ex uno venies ad secundum, tertium et quartum, et tandem in assiduitatem, sive consuetudinem mentienti, quæ pessima est: hæc enim faciet ut etiam ventris in damnum et perniciem alterius, quæ est calumnia gravis et lethifera. Quare, ne dicito: Mentior tantum jocosè vel officiosè, ut aliis prosim, vel ut eos recream: quia ex assiduitate mentiendi et linguæ volubilitate

quandoque mendacium proferes, illud tibi non cogitanti excidet, cum agetur de fama, bonis et vita proximi, ac per habitum inadvertenter eum infamabis, erisque causa ut bonis, et subinde vita spoliatur. Rursum ex mendacio facilis est lapsus in perjurium: qui enim crebro mentitur, et crebro jurat, impossibile est ut sæpe non juret falsum. Unde Cicero *pro Roscio Comædo*: «Qui mentiri solet, inquit, perjurare consuevit. Quem ego, ut mentiatur, inducere possum, ut pejeret, exorare facile potero. Nam qui semel a veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perducitur consuevit, etc.: propterea quæ pœna a diis immortalibus perjuro, hæc eadem mendaci constituta est.»

Moraliter, vide hic quanta sit dignitas veritatis, adeo ut omne mendacium, etiam minimum, sit peccatum, quia veritati contrarium. Celebre est adagium Arabum, *Centuria* 1, num. 72 et 73: «Veritas magnificentia est, mendacium vilitas; veritas sanitas est, mendacium infirmitas. Quocirca os linguæ carcer est.» Et *Centuria* 2, num. 39: «Lumen omnium factorum tuorum esto sermo verax.» Et num. 48: «Omitte mendacium, ubi videris quod tibi profuturum erit: nam nocebit, tibi. Tuum quoque est hæere veritati, ubi videris quod ipsa nocebit tibi, quia ipsa proderit tibi.» Et num. 48: «Qui notus est veracitate, recipitur ejus mendacium; et qui notus est mendacitate, non recipitur ejus veritas.» Eam enim vim opinio habet, ut ei qui vera solet loqui, etiam cum mentitur, credamus; ei vero qui sæpius mentitur, etiam tunc, cum verum dicit, fides non habeatur. Quin et Plato, lib. II *De Legibus*: «Turpissimum est, inquit, magistratum aut principem (pariter et civem) eo ipso ore mentiri, quo Deum invocat.»

Ratio a priori est, quia Deus est veritas, eaque essentialis et increata: quantum ergo ad veritatem accedis, vel ab ea recedis, tantum ad Deum accedis, vel recedis: Deus enim amat veraces quasi sui similes, mendaces odit quasi sui dissimiles. Quocirca Pythagoras censuit, «veritatem post Deum colendam esse, utpote quæ homines Deo proximos facit,» teste S. Hieronymo lib. *Contra Ruffinum*. Hinc Deus Christum amat infinite, quia ipse est Verbum Patris adæquatum et verissimum. Christo ergo Dei Verbo associantur veraces; Christi enim vox est: «Ego sum via, veritas et vita,» *Joan.* XV. Qua de causa ipse, utpote ipsa veritas, hanc veritatis legem sancit: «Sit sermo vester: est, est; non, non; quod autem his abundantius est, a malo est,» *Matth.* V, 37. Ipse tandem pro veritate, quod, scilicet, ipse esset Messias Dei Filius, occubuit. Sic et Martyres maluerunt perdere vitam, quam fidem et veritatem. Denique S. Joannes *Apoc.* XXI, 8: «Omnibus mendacibus, inquit, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda.» Nam, ut ait S. Basilius *epist.* 75: «Mendacium est diaboli factus.»

QUARTA PARS CAPITIS.

QUOMODO SE QUIS GERERE DEBEAT ERGA SE ET SUOS QUOSLIBET.

15. NOLI VERBOSUS ESSE IN MULTITUDINE PRESBYTERORUM, ET NON ITERES VERBUM IN ORATIONE TUA, — puta, qua Deum oras et deprecaris; hanc enim significat Græcum *προσευχη*. Vetuit mendacium, nunc vetat verbositatem et garrulitatem, quasi rectam viam ad mendacium; qui enim verbosi sunt, ex multiloquio et volubilitate linguæ facile incidunt in mendacium. Hæc autem verbositas gravior et indecentior est, tum «in multitudine presbyterorum,» id est, seniorum: hos enim decet loqui, juvenes autem eos modeste et reverenter audire ac silere, uti fusius sanciet cap. XXXII, vers. 9 et seq., præsertim quia senes, ut pote sapientes et experientia pollentes, facile possunt verbosus delapsu memoriæ, errore, vel mendacio redarguere; tum in oratione apud Deum: Deus enim non flectitur verbis, sed affectibus humilitatis, verecundiæ, devotionis, desiderii, amoris. Prohibetur hic ergo non proluxa oratio verbalis, sed irreverens tautologia et verbosa iteratio sermonis, qua Judæi et Pharisei utebantur, putantes se instar Ciceronis blando sermone et eloquentia persuasuros Deo ut postulata concedat. Unde pro *verbosus esse*, Græce est *ὀδοῦργεῖν*, id est, garrire, nugari, ineptire, effutire quelibet, nulla habitatione loci, temporis et personarum. Syrus accipit pro fingere et simulare; vertit enim: *Ne abscondas animum tuum* (verbis fictis et simulatis) *in congregatione principum, et ne varies verba orationis tuæ*; Vatablus: *In cœtu senum ne sis verbosus, nec in precatione tua dictum iteres*. Hoc est quod sancit Christus *Matth.* VI, 7: «Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici; putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur,» patet propter multiloquium, græce *βαρρολογίαν*; tautologia autem est nugacitas, ac futilis verborum profusio et repetitio. Ethnici enim putabant se hac quasi rhetorica sua deos excitare, mulcere et fletere. Contra eos docet Christus orationis essentiam, efficaciam et vim sitam esse, non in verbis oris, sed in colloquio mentis cum Deo, cujus causa et quasi anima sit desiderium, et pius animi affectus; quem tamen non negat verbis posse exprimi et fieri, tum ut et ore æque ac lingua Deum exterius laudemus; tum ut voce mentis affectus acuatur, excitetur et continetur. Igitur cum ait Ecclesiasticus: «Ne iteres verbum in oratione,» intellige, ex infidelitate, quasi necessarium sit verba repetere, ut ea Deus possit audire; vel ne temere et sine fructu iteres. Nam alioqui Ecclesia Versus et Antiphonas iterat, primo ex abundantia devo-

tionis, ac ad excitandum spiritum et orationem, secundo, ad recreandos animos orantium; tertio, ad meliorem concentum; quarto, quia mystice hæc Responsoria significant opera bona sæpius esse iteranda. Ita Amalarius in Antiphonario, cap. IV, Turcremata tractat. 66 *ad Regulam S. Benedicti*, et Suarez lib. IV *De Oratione vocali*, cap. II.

Rursum noster Emmanuel Sa sic exponit: «Ne iteres verbum in oratione tua,» *q. d.* Dum oras, esto attentus, ne ob distractionem verba iteres; hoc enim indecens est et irreverens coram Deo. Hoc notent scrupulosi, qui ob metum distractionis identidem verba orationis repetunt, qua in re errant: tum quia hic metus in scrupulosis est inanis et vitiosus; tum quia repetitio hæc irreverens est; tum quia hac ratione metus suos et scrupulos alunt et augent; tum quia pronuntiando verba satisfecerunt obligationi orationis, et esto in ea distracti fuissent, distractio hæc in eis sæpe involuntaria est, ideoque peccati expers; si voluntaria aliquo modo fuisset, ideoque peccatum aliquod, illud non iteratione verborum, sed contritione delendum est. Huc pertinet expositio Hugonis et Dionysii: Sensus, inquiunt, est, *q. d.* Oratio tua tam devota et attenta sit, ut non habeas scrupulum vel dubium, an rite vel attente verba protuleris, ideoque velis ea iterare; sed conscius tuæ devotionis et attentionis, audacter ad ulteriora progrediare.

Mystice S. Gregorius, parte III *Pastor.*, Admonit. 31, hæc refert ad eos qui in peccata, quæ planxerunt, relabuntur: «Sus, inquit, in volutabro luti cum lavatur, sordidior redditur. Et qui admissum plangit, nec tamen deserit, etc., ante Dei oculos sordidas ipsas etiam lacrymas facit. Hinc scriptum est: Ne iteres verbum in oratione tua; quo dicto nequaquam nos prohibet sæpe veniam petere, sed culpas iterare. Ac si aperte dicat: Cum male gesta deflexeris, nequaquam rursus facias quod in precibus iterum plangas.» Sic et S. Chrysostomus tom. I, hom. in illud *Psal.* LXXXIV, *Non in æternum irascaris*: «Quid est, inquit, ne repetas sermonem in oratione? Quis enim non repetat? An forte illud intelligendum est de eo quod dicis Deo: Peccavi? Non repetas factum; quia cum repetis, id est, ad peccatum redieris, orationem repetis. Ergo diligendum est a sapientibus peccatum agnoscere, et dolere semper. Præterita vetusta male commissa, male cogitata, pessime delectata, inordinate dicta debent quotidie in mente manere, et semper homo

ebet ista dolere, ut, cum venerint novæ suggestiones, ibi repellatur inimicus, dicendo: Adhuc doleo peccatum vetustum, quomodo admitto peccatum novum? » Idem vero Chrysostomus in *Psal. cxlii* initio, sic explicat: « Ne iteraveris verbum in oratione: non autem hortatur ut non eadem bis precamur, cum eum rogamus et precamur: absit: jubemur enim perseverare in orationibus; sed ne differamus, quando Deo aliquid fuerimus polliciti, et id solvere properemus. Et ideo dicit alibi: Ne differas reddere votum. » Illic sensus favet Syrus: *Ne varies verba orationis tuæ*.

16. NON ODERIS LABORIOSA OPERA ET RUSTICATIONEM CREATAM AB ALTISSIMO. — Græce: *Non oderis laboriosam operationem et agriculturam creatam ab Altissimo*. In Syro hæc sententia deest. Vatablus: *Laboriosum opus ne prosequaris odio, nec agriculturam ab Altissimo institutam*. Copula et est exegetica et emphatica, *q. d.* Ne oderis laboriosum opus, quale imprimis est agricultura. Sic Christus ait *Marc. cap. xvi, vers. 7*: « Dicite discipulis, et (id est, præsertim) Petro, » quasi omnium capiti et principi. Commendat amorem laboris et agriculturæ quinque de causis. *Prima*, quia labor excludit otium, quod est fons et origo malorum omnium: quantum ergo malorum ab ignavia ferres, tantum honorum a labore, imo amplius capies. Idecirco natura dedit homini geminas manus, ut iis assidue laboret.

Secunda, quia « homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum, » ait *Job cap. v, vers. 7*. Hinc Rabbini quidam eruditus dixit: « Ama opus, et odio habeto doctoratum, » *q. d.* De re et opere, non de inani nomine et titulo sis sollicitus. Causa est quam dat Salomon *Proverb. xiv, 23*: « In omni opere erit abundantia; ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas, » *q. d.* Rerum copia paritur laborando, non otando et garriendo. Hebræus: *In omni labore erit augmentum, verbum laborum vero ad defectum*; Septuaginta: *In omni sollicito erit abundantia, dulcis autem et carens dolore in egestate erit*; Chaldaeus: *In omni quod sollicitum te facit, erit tibi commodum, et labia superflua in egestate erunt*. Maximus, *serm. 32*, celebrat Democritum qui, rogatus qua re laboriosi differrent a desidiosis respondit: « Illa qua impii a piis, spe scilicet bona. » Sperant quippe, qui corpus laboribus exerceant, pingua laborum præmia; desides autem semper præsentem intuentur paupertatem. Quocirca Severus Imperator tribuno symbolum dedit, *Laboremus*; Pertinar Imperator, *Militemus*, ait Spartianus. Idem sibi dicat fidelis; nam, ut ait *Job cap. vii, 1*: « Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii, dies ejus. » Memorabile est, quod in historia Romana legimus, Scipionem Nasicam ambientem adilitatem, ab ea repulsum, eo quod competitoris sui manum agricultura duratam contrectans, ironice rogasset, an manibus

concedere terramque calcare consuisset? Phryges vero eum qui bovem, aut instrumentum quodpiam agricolandi sustulisset, morte mulcebant, teste Stobæo, *serm. 42*.

Tertia, quia labor vegetat et roborat corpus, æque ac animum. Hebræorum est gnomo: « In quo quisque laborat, ex eo fructum faciet, » nimirum homines industrii semper fructum colligunt sui laboris; nam, ut umbra corpus, sic utilitas laborem animi aut corporis comitatur. Ergo, si commodum quæris et robur, ne fuge laborem; si e nuce nucleum edere vis, frange nucem. Quocirca Aristoteles, *lib. I Oeconom.*, agriculturam ait omnium artium esse optimam, eo quod sit secundum naturam, nec bellando aut mercando, uti milites et mercatores, sed laborando a terra, quæ omnium est mater, victum quærat. Et Virgilius *lib. II Georgic.*:

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolæ, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum justissima tellus.

Et inferius:

At secure quies, et nescia fallere vita,
Dives opum variarum, etc., extrema per illos
Justitia excedens terris vestigia fecit.

Est enim agricultura « ars omnium innocentissima, » ait S. Augustinus. Plura vide apud Catenem et Columellam præfat. *De Re rustica*; Plinium *lib. XVIII, cap. v*; Xenophontem in *Oecon.*, Varronem *lib. I, cap. ii*; Stobæum *serm. 54*, et alios.

Quarta, quia labor vitia excludit, et virtutes inserit, puta innocentiam, patientiam, fortitudinem, uti patet in agricolis. Rursum labor parit heroica opera. Ita S. Dominicus Loricatus rogatus, quomodo ad tantum vitæ rigorem (præter enim vigiliis et jejuniis assidua, quotidie flagellis se cædebat per integrum psalterium) pervenisset, respondit: « Labor laborem adescat, vigiliis vigiliæ pariunt. » Nam, ut aiunt Arabes: « Gusta, cibaberis, » id est, gusta laborem, et ipse vocabitur ad appetitum sui; « accede ad pinguem, et pinguesces. » Vulgo dicitur: « Fatum adjuvat conatum, et Tonans conantem. Merces præcepti, præceptum, » id est, qui laborat, ut unum præceptum observet, ei Deus quasi præmii loco concedit, ut et alia observare possit. Ita Pythagoras apud Stobæum, *serm. 27*, hortabatur suos, « ut optimum vivendi genus sibi deligerent; quamvis enim laboriosissimum esset, consuetudine tamen jucundum fore. »

Quinta, quia agricultura a Deo instituta est, et homini demandata in statu innocentiae, *Genes. I, 15*: « Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum. » Rursum mox a peccato hanc poenitentiam Deus homini injunxit: « In laboribus comedes ex ea (terra) cunctis diebus vitæ tuæ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, » *Genes. III,*

vers. 17. Agricola ergo fuit Adam, Abel, Seth, Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, omnesque Patriarchæ. Vide dicta locis citatis, et *Genes. IX, 20*. Sic Romulus, Remus, Camillus, primique Romani nobiles fuere agricolæ, et a rastris ad arma et sceptrâ vocati sunt. Unde Cicero *lib. I Offic.*: « Omnium rerum, inquit, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius. » Et: « Agricola ita semper vivunt, ut quæstum norint nullum; fructum autem eum solum, quem labore pepererint. » Quocirca S. Augustinus, *hæres. 46*, Manichæos ridet quasi stolidos, quod damnarent agriculturam: « Vinum, ait, non bibunt, dicentes fel esse principum tenebrarum, etc. Herbas atque arbores sic putant vivere, ut vitam, quæ illis inest, et sentire credant, et dolere cum læduntur; unde agriculturam, quæ omnium artium est innocentissima, tanquam plurimum homicidiorum ream dementes accusant. » Denique Alfonsus, rex Aragonum, videns senem ebrium dicentem « vinum esse lac senum: » « Sed regum, inquit, cibus est honos, quem dii immortales non otio aut luxu, sed improbis laboribus multisque sudoribus vendunt. » Testis Panormitanus *lib. I De Gestis Alfonsi*.

Mystice, rusticatio nostra est cultura animæ, tum propriæ, tum alienæ. Rus enim nostrum nobis a Deo ad excolendum commissum, est anima, juxta illud S. Pauli *I Corinth. III, 9*: « Dei agricultura estis. » Et *vers. 6*: « Ego plantavi. Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. » Pro hoc rure omnes labores alacriter subeundi sunt, omnesque dolores tolerandi, uti eos subiit et toleravit S. Paulus cæterique Apostoli, ob spem messis amplæ et æternæ in gloria cælesti, juxta illud *Psal. cxxv, 6*: « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. » « Ergo, inquit S. Ambrosius, *lib. VIII in Lucam, cap. xvi*, ita exerceamus et colamus agrum nostrum in istius culturæ munere constituti, ut in illa superiore Jerusalem, ubi legis vera custodia celebratur, habeamus similaginem de manipulis nostris, quos beati qui potuerint congregare, ut venientes veniant in exultatione tollentes manipulos suos. »

17. NON TE REPUTES (προσολογίζου, id est, computes, associes, adjungas, vel computari et annumerari permittas) IN MULTITUDINE INDISCIPLINATORUM. — Græce *ἀμαρτωλῶν*, id est peccatorum, qui Deum non timeant, nec ejus vindictam prævident et verentur. At vero tu qui fidelis es et sapis,

18. MEMENTO IRÆ (vindictæ Dei in peccatores), QUONIAM NON TARDABIT. — Vatablus: *Non te adjungas multitudini scelerosorum; sed vindictam moram non esse facturam memineris*. Syrus prioris partem aliter vertit; sic enim habet: *Ne times animam tuam (te ipsum) præ homine, qui est tecum; recordare quoniam furor non transit*. Hoc

accipe cum grano salis, nimirum, *q. d.* Ne ita times te, ut proximum præ te despicias, spoliæ, opprimas; alioqui enim ordo charitatis poscit, ut magis nos quam alios diligamus. Unde sequitur:

19. HUMILIA VALDE SPIRITUM TUUM, QUONIAM VINDICTA CARNIS IMPII, IGNIS ET VERMIS. — Explicat iram Dei, quam vers. præcedent. dixit non tardaturam, per ignem et vermem, ut ejus consideratione et metu humiliemus nos, et fugiamus superbiam, cui hic ignis et vermis a Deo parati sunt. Unde Græca hæc trajiciunt, sicque ordinant: *Humilia valde animam tuam. Memento, quoniam ira non tardabit, quoniam vindicta impij, ignis et vermis*. S. Ephrem, tract. *De Timore Dei*, sic legit: « Ne superbias, neque dilateris; sed te ipsum humilia: ultio quippe impiorum ignis et vermis. » Sed paraphrastica, ut videtur, quædam explicationis causa addit et interserit. Syrus rursum alio ab it: *Multum multum humilia spiritum tuum, quoniam finis omnium hominum in altum fit, q. d.* Quia finis hominum est altus, puta, gloria cælestis, ad quam ducit humilitas, utpote quæ sola exaltat. Præclare S. Bernardus *De Interiori domo, cap. xxviii*: « Qui sibi displicet, ait, Deo placet; et qui sibi vilis est, Deo charus est. Arabicus: *Humilia animam tuam valde valde, quoniam ultimum esse hominum in pulverem et corruptionem*.

Nota et valde, *q. d.* Humilia et deprime te sub Deo et Angelis, sub hominibus, sub omnibus creaturis usque in infernum, sicut P. Franciscus Borgia ponebat se ad pedes Judæ proditoris, imo sub Lucifero et dæmonibus; quia pluries, gravius et diutius peccasti illis: unicum enim peccatum mortale est summum malum, quod in orbe esse aut fingi potest; ipsum ergo est summa vilis evertenda in gehennam, ut ibi puniatur igne et verme, præsertim peccatum superbiæ. Humilia te ergo, et te vermem agnosce, ac dic cum Christo: « Vermis sum ego, et non homo, » ut vermes gehennæ evadas. Unde S. Bernardus in *Formula vitæ honestæ*: « Ista tria, inquit, habe semper in mente: Quid fuisti, quid es, et quid eris? Quid fuisti, quia sperma foetidum. Quid es, quia vas stercoreum. Quid eris, quia esca vermium. Similiter imagineris eorum pœnas, qui sunt in inferno, et quod nunquam finiantur, et pro quam modica delectatione tanta mala patiuntur. »

S. Vincentius Ferrerius sui ævi apostolus, tract. *De Vita spiritali*, simpliciter, sed pie et nervose ita scribit et præscribit: « Qui vult fugere laqueos et tentationes diaboli, sentiat de seipso sicut de uno corpore mortuo, pleno vermibus et male olenti, et sicut de uno cadavere, quod dedignatur videre et intueri, imo super quod claudit nares propter ejus pessimum odorem et fetorem, et a quo avertit faciem, ut non videat talem et talem abominationem. Sic oportet, charissime,